

*noscant ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem et hi omnes qui, nostris temporibus, familiarum rerum angustis ac tenuiori conditione tam acriter irritantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis causa cur loco qui sibi obtigit delectentur, potiusquam doleant. Communes, enim, cum Sacra Familia sunt illis labores, communes curae de vita quotidiana*<sup>1</sup>. Ut, igitur, SS. Familiae cultus salutares in paroecia edat fructus, ut Confraternitas a Leone f. r. XIII fundata<sup>2</sup> inibi habeatur, quam maxime proderit.

*j) Ut B. Iosepho Sanctissimae Familiae fideli custodi singulari Virginum, familiarum Ecclesiaeque universae Patrono, necnon moribundorum auxilio [quem Christum uti patrem habere non dignatus est] sui cultus obsequia fideles praestent quam maxime Pastor suadebit. Ut igitur feria IV, ac Martii mensem peculiari ratione, ipsi consacent, necnon suas per annum Festivitates<sup>3</sup>, peculiari cum devotione, fideles celebrent curandum est. Coelestium, enim, thesaurorum custodia ipsi commissa est, quorumque divitias in digne supplicantes, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, benigne abundantissimeque, diffundit.*

*g) Ipsi Sancti Angeli, quibus datum est ut summis aeternisque in regno Dei bonis affluent, semper faciem Patris qui in coelis vident<sup>4</sup>, et quorum opera non modo ad Ecclesiae sua, sed etiam ad reliquorum rerum gubernationem Deus utitur, quorumque ope maximis tum animae, tum corporis periculis quotidie liberamur<sup>5</sup>, qui administratorii spiritus sunt propter eos qui hereditatem capiunt salutis<sup>6</sup>, patrocinium vero nostrum sibi delatum libentissime suscipiunt, nostrasque preces et lacrimas Deo offerunt<sup>7</sup>, impenso studio singularique affectu a fidelibus colendi venerandique sunt. Quapropter Sanctorum Angelorum mensis, [nempe augusti] a fidelibus adeo excolendus ac quotidie Sanctus Angelus Custos adeo venerandus, ut in ardua mortalis peregrinationis via, adiumentum, tutela, praevalidumque solamen ipsis sint.*

*h) Qui oculis nostris mortui sunt, nisi lethali culpa polluti decesserint, vivunt Domino nobisque, fide et caritate, coniuncti manent. Suffragiis suis nos iuvant, atque ad Deum videndum nondum admissi, ut suffragiis nostris iuventur, exspectant; numquam, igitur, fiat ut nos ipsis deesse sentiant. Enimvero ut in venerandis tremendisque Mysteriis defunctorum commemoration agatur ab ipsis Apostolis sancitum*

<sup>1</sup> Leo XIII, *Neninem fugit*, 14 jun. 1892.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> Cfr. pag. 478 ad 2.

<sup>4</sup> Math. XVIII, 10.

<sup>5</sup> Cfr. Catech. Roman. *De 1 praecept. decalog. n. 18.*

<sup>6</sup> Ad Hebr. I, 14.

<sup>7</sup> Cfr. Tob. XII, 12; *Apocalyp.* VII, 3.

est<sup>1</sup>. Quum in fide adhuc ambulemus, nostra est hostia divina, si nihil haesitantes et in caritate fundati, eam Patri omnium offerimus. Pretium infinitum, pro defunctorum debitis fidei oratione solvamus, et rore coelesti perfundentur; precibus vero ac eleemosynis, alia opera bona addamus. Quapropter quam salutaris et sancta sit cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur, fidelibus Pastores recolant. Beneplacitus, enim, est in conspectu Dei qui amat quos cruciat, piacularibus ignibus peccata luentes, ac quorum acceleratur liberatio salubris intercessio nobis est, quoniam pio affectu eis impenso, iudicis [qui ultimum quadrantem exigit], memoria nutritur, et etiam peccati venialis horror vel excitatur, vel augetur. Ad rem:

I. Ut sanam de Purgatorio doctrinam a *Sanctis Patribus et Sacris Conciliis traditam, a christifidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari*<sup>2</sup> studeant, SS. Tridentina Synodus Episcopis praecipit. Quapropter de animabus in Purgatorio detentis indeque non exeuntibus donec novissimum reddiderint quadrantem, diligenter edoceantur fideles; orationibus, eleemosynis, indulgentiis aliisque pietatis operibus quae pro defunctis fieri solent, huius expiationis tempus imminuit posse [quo a misericorde placatoque Deo locum refrigerii, lucis et pacis ipsi obtineant] fidelibus recolant Pastores.

II. Attamen [uti in omnibus populo habendis concionibus] *apud rudem plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus, plerumque, nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta, item, et vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero quae ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel [Pastores attendant quoeso] turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidei offendicula, prohibeant*<sup>3</sup>. Quarum ordinationum sapientiam, et temporibus nostris, numquam satis ad proxim Pastores deducent, praesertim illos erga qui phantasiae saltem indulgentes, pseudo miraculorum incerta admodum signa venerationi exponentes, complurimos fideles [bona forsitan fide] in errorem inducunt. Ecclesiae, igitur, doctrinae ac praxi sedulo innitendum est: coetera vero omnia quae superstitionem, et sagarum artem quoquomodo sapiunt, a fidelibus procul arcenda sunt<sup>4</sup>.

III. Et erga patientem Ecclesiam fidelium devotio sedulo a Pastoribus inculcanda exercendaque est, quum hac mediante dum filiis

<sup>1</sup> S. Ioan. Chrysostom. homil. III in epist. ad Philippens. n. 4.

<sup>2</sup> Sessio XX, 337.

<sup>3</sup> Trident. Sess. XXV, *De Purgatorio.*

<sup>4</sup> Cfr. Leo XIII, C. *Officiorum ac munierum cit.*, n. 13.

fratribusque defunctis **opem** Pastor fert, et ovibus suis, adhuc in via, plurimum prodesse earumque saluti consulere, experientia constet. Nam ubicumque, erga defunctos ferret charitas, hic beatae immortalitatis fides et spes [cum maximo christiana observantiae adiumento] reviviscunt. Hoc, enim, dum **levamen** defunctis eaffert, cum *santa ac salubris sit cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*<sup>1</sup>, et fideles ipsos a peccatis praeservabit, **iuxta** illud: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*<sup>2</sup>. Saepius per annum, orationis caussa, ad coemeteria visitanda fideles excitentur, ac ubi illud Ecclesiae attiguum sit, laudabilem usum ad sepultra **sive** ante, sive post divina officia aliquas effundendi preces, Pastores inducunt confirmantque. In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, perquam solemniter ac devote, ad coemeterium processionaliter populum ipsi ducant. Illam sui gregis partem quae vitam christianam perfectiore amplectitur ratione, sive ad Sanetam Communionem, sive *Viae Crucis* exercitium, missas aliaque indulgentiis ditatis exercitia pro defunctis applicanda, prudenter incitare Pastores studeant.

IV. Inter Missas in defunctorum suffragio applicandas et quae **Gregorianae** dicuntur in moribus sunt, quo vocabulo:

1) non **intelliguntur** Missae specialis alicuius formulae, neque votivae de S. Gregorio, sed triginta Missae, i. e. per triginta dies continentis seu sine interpolatione sibi succedentes celebrandae in quovis altari, applicandae pro defuncto vel defunctorum; igitur Missae *De Req.* si per rubricas permittuntur, alioquin de diebus occurrentibus dicendae sunt.

2) **Fiducia** qua fideles retinent celebrationem triginta Missarum, quae vulgo *Gregorianae* dicuntur, ut specialiter efficacem ex beneficio et acceptatione divinae misericordiae ad animae a purgatori poenis liberationem, pia est et laudabilis, atque praxis easdem Missas celebrandi est in Ecclesia probata.<sup>3</sup>

V. Tandem ut **suo** in grege pro dilectissimis fratribus in purgatorio degentibus ad pias fundendas preces Sodalitates erigant, eretasque confirmant, numquam satis Boni Pastores suadebuntur. Hac, enim, ratione, dum vivis consulunt, neque defunctos negligunt. Patris matrisque peramantia habentes viscera, nullo negocio, haec omnia intelligent!

498. — Generatim pias devotiones omnes quibus in fidelium animis christiana observantia fovetur ac augetur, ipsis Pastor recolet, quin tamen [meminerit] quoquomodo, quibusdam falsis ac superstitionis quae omnibus in temporibus vagantur ubique, incrementum auxiliumque praestet. His enim [ut plurimum] sub devotionis nomine, bonae fidelium fidei ac crumenae versutissimos laqueos quidam iniicere contendunt.

<sup>1</sup> II Machab. XII, 46.

<sup>2</sup> Eccles. VI, 440.

<sup>3</sup> S. C. Indulgent. 15 mart. 1884.

Quae, igitur, Ecclesia Sancta sua approbatione munivit, has excolet Pastor; coeteras, vero, suo grege sedulo amandet, hos circumscriptores devitet, ac ut ab omnibus devitentur sedulo curet. De Christo, enim, ac rebus Sanctis turpem negotiationem agentes, a Christi grege arcendi semper sunt.

499. — Tandem et Pias Peregrinationes, dummodo, poenitentiae afflante ac dirigente spiritu, cum devotione et non cum dissipatione habeantur ac omnia rite disponantur, ad pietatem in christifidelibus vendam plurimum conferre quotidiana experientia docet. Quapropter:

a) Ut pro peregrinationem suscepturis parochianis, placationis hostiam offerendo [si per rubricas licuerit] ipsam missam votivam **pro peregrinantibus** Parochus celebret, vel saltem in missa diei, collectam pro iisdem Pastor addat, suadendus est. — Post missam vero, congruam ac aptam exhortationem profecturis ipse habeat, in qua ut dignos facere poenitentiae fructus contendant, et devota sacramentorum susceptione confortati, iugiter ad Deum peregrinari mereantur, eos adhortabit.

b) Ut sacrae peregrinationis dux tutorque ipse Pastor, vel aliis, saltem, sacerdos sit quam maxime optandum est. Hac, enim, ratione, ut irrumpentes abusus in germe suffocentur, et peregrinationum devotio spiritualis patris consiliis auxiliisque dirigatur et augementetur, certius erit.

c) Quod si haud fieri poterit, nonnisi **virum gravem**, pietate ac prudentia probatum, quem de commisso sibi officio prudenter edoceant, ut ducem ac tutorem Pastores constituant peregrinantibus commendent.

d) Utroque in adjuncto, omnem itinerandi rationem disponentes, ne preces et inepti cantici [qui, interdum, ab incautis praceptoribus proponi solent] aliave [facile subaudiendis] inconvenientia habeantur [quibus fidelium pietas non augetur, adversariorum vero impietati nova calumniandi causa praebetur], maxima sollicitudine, prae-  
cavere Pastores student.

e) Sanctuariorum vero et Ecclesiarum omnium Rectores ad quas, devotionis caussa, frequentius fideles confluunt, ut, zelo pio, peregrinantibus proposcientes saluti, quae ad sanctis locis debitum augendum honorem, et ad fidelium aedificationem conferre in Domino iudicaverint, omnia ac singula prudentissime disponant, ad huius piae operae finem assequendum, omnino pernecessarium censeatur. Quidquid vero superstitionem redolet, caute abrogent; quidquid turpis quaestus suspicionem movere possit, sedulo eliminent, ac ne probatorum confessariorum copia desit, sollicito fervore, provideant.

**500.** — Atque haec, ne aliarum sacrarum disciplinarum fines ingrediamur, sufficient ut in comperto ponatur quod vel a limine asserebamus, videlicet, quantum animarum Pastori intersit ut haec media quae illi materna Ecclesiae sollicitudo iubet, ad spiritualem sui ministerii finem assequendum rite adhibeantur. Nam si unquam alia, haec profecto sunt quibus animarum salus directe intenditur, quae, prae coeteris omnibus facienda est.

### Articulus II.

#### DE MEDIIS INDIRECTIS.

**Q**uamvis ad christianam in plebe sancta Dei observantiam assequendam tutamdamque hucusque memorata media adeo pernecessaria sint ut si posthabentur et illa quoque confodiatur, attamen et quae-dam alia in re adiumenta recolenda supersunt, quae quum [quamvis efficacissime] indirecete tantum in observantiam influant, indirecta compellare placet. Quae attente considerando in tres, ut ita dicamus, classes dispesci possunt, nempe: in paroeciae ac singulorum paroecianorum agnitione, in congruenti Pastoris cum ovibus ac vicissim consuetudine, et in materiali auxilio tum singularis, tum consociatis fidelibus a Pastore praestando, de quibus omnibus praecipua ad proxim attinentia recolemus.

#### § I. — De Paroecia ac paroecianorum agnitione ac Pastoris cum grege consuetudine.

SUMMAE RERUM. — 501. Huius agnitionis praxis quae. — 502. De *Animarum statu* redigendo, et ad rem practica ratio. — 503. De fidelium ad Pastorem accessu. — 504. De Pastoris cum ovibus consuetudine. — 505. De *spiritu paroeciali* in fidelibus fovendo.

**501.** — De paroeciae ac paroecianorum agnitionis necessitate, quae alibi ad rem tradidimus plura effari non sinunt, et Pastorem qui illam posthabeat in quale ac quantum errorum pelagus impingat satis superque pluries monuimus. De quibusdam potius practicis ad rem mediis heic dicendum superest, quae, synthetica ratione, sequentibus perstringimus:

*a)* Antequam paroeciale curam Pastor subeat, de concreta sibi ditione a prudentioribus notitias adipisci curabit, et

postquam illam adeptus sit in id primum ac potissimum suam curam impendat. Ad rem rationem alibi recoluimus<sup>1</sup>.

*b)* Quum, vero, procedente tempore, tum personae ac eventus, tum res ipsae mutantur, ut, per quam sedula cura ac diligentia, huic negotio continuo Pastor studeat, omnino decet, quin tamen tam imprudenter agat ut in familiis se ingerat, adeptis notitiis inepte utatur, et Coadiutoribus, vel [quod sane peius] coeteris laicis eas communicet.

*c)* Huius agnitionis obiectum duplice dispesci potest, nimirum:

I. Generale ac, uti dicamus, impersonale quo Pastor dignoscit:

1. Paroecianorum numerum, animarum nempe pro quibus tum apud Deum, tum apud homines rationem redditurus est numerositatem.

2. Communem eorum statum quoad temporalia, scilicet, an maxima eorum pars divites, an pauperes sint, an aequaliter mixti et similia. Pro hac, enim, diversitate, eorum multitudinem diversimode regendam esse per se liquet.

3. Communem ovium suarum indolem Pastor disquirat, an nempe mitiori sint quae monitis facilius flecti patiatur, an vero duriori quae ipsis obsistat: an ad ardua religionis officia excitari possint, an vero segni et abiecta natura quae etiam ad infima vix adducatur.

4. Quo ingenio ac capacitate paroeciani sint, et an fidei ac morum doctrina rudes et ignari, an autem et quantum instructi inquirat Pastor bonus. Pro qualitate, enim, ac diversitate audientium moderandum esse sermonem doctoris<sup>2</sup> perbelle Divus monet Gregorius.

5. Vitia in paroecia magis invalescentia disquirat, quum in his extirpandis eradicandisque peculiaris Pastoris cura contineatur. Quapropter horum vitiorum occasiones ac fontes dignoscat Pastor bonus, ut primas recidere, alteras vero exsiccare valeat. Quae, igitur, ac quanta in primis in honesta loca, uti tabernae, choreae sint, personarum diversi sexus conventicula, quae parentum ac dominorum in filios ac in famulos incuria, qui in Parochum malevole se haberi consuescant, qui in Ecclesia ac Sacramentis frequentandis negligenter se habeant et similia, dignoscere Pastor studeat ut, omnibus opportune subveniendo, plurimorum eventuum legitimas comperiat caussas, ac ipsis in tempore opportune prospicere possit valeatque.

<sup>1</sup> Cfr. pag. 214.

<sup>2</sup> Moral. lib. XXIV, cap. 3.